



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisionis LIII. Ad Novembris primum Casum. Argumentum. Elucidatur, quantam abstinenciam habere debeant à conjugali copula uxorati, recepturi Sacram Eucharistiam. Sacri Canones de hac re allegantur, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

alias infirmitates nullus morbus reddit infirmum
7 indignum divino Epulo, quamvis esset illovis, lepra fluxus menstruus. Gobat in *Experim. Theolog.* 17. 4. n. 360. neque neglectus corporis in male vestitus, & immunditiam ex negligentia præferentibus. Suarez de *Eucharist. disp.* 68. sect. 1. quamvis hos graviter reprehendendos, & aliquando à Sacra Mensa repellendos velit Pax Jordan. tom. 1. lib. 3. tit. 3. n. 77. quod non semel fecisse Ven. Antonium Mariam de Sanctis, Fundatorem Congregationis Oratorii in hac Urbe Antenorea, cum Confratribus Oratorii, qui festivis diebus in illo accedebant ad Communionem absque lineo collare albo, seniores ejusdem Oratorii mihi retulerunt, & in præsentem diem servatur, nisi magna paupertas illos excuset; nam in vestibus sordes etiam Sanctus Philippus Neri damnavat; sæpe usurpans adagium Divi Bernardi: *Paupertas mihi semper placuit; sordes vero nunquam.* Ita in ejus Vita Petr. Jacob. Badius lib. 2. cap. 14. n. 8.

Quo ad quartam corporis dispositionem, videlicet abstinentiam à copula carnali pro licito accessu ad Sacram Synaxim; quid de ea scribant Doctores, demonstrat sequens,

DECISIONIS LIII.

Ad Novembris primum Casum,
ARGUMENTUM.

Elucidatur, quantam abstinentiam habere debeant à conjugali copula uxori, recepturi Sacram EUCCHARISTIAM. Sacri Canones de hac re allegantur, ac plures rationes; & quatuor conclusionibus Casus resolvitur. Subindè duo collatoria ponuntur: Unum de castitate conjugali primitivorum Christianorum. Alterum de pernicie immoderate Veneris in conjugatis juxta Medicorum observationes.

SUMMARIUM.

- 1 Copula carnali conjuges si vacaverint, sequenti die non sunt communicandi secundum antiquos Canones.
- 2 Maritus debet abstinere ab uxore tribus, aut quatuor diebus ante sacram Communionem.
- 3 Verbum Debet importat necessitatem.
- 4 Oza, quare percussus à Domino?
- 5 Gentiles facturi sacra abstinere ab uxoribus.
- 6 Irreverentia irrogatur Eucharistia, si tangatur manibus immundis.
- 7 Maritati, si statim post copulam sumant Eucharistiam, peccant venialiter.
- 8 Copula inter conjuges non impedit Communionem secundum aliquos; ob plures rationes.
- 9 Opinio illa amplectenda, ex qua majora bona percipiuntur.
- 10 Monendi sunt conjuges communicaturi, ut abstineant à copula carnali.
- 11 Conjux, qui non petit, sed reddidit debitum, non est repellendus à Communionem.
- 12 Conjux, qui petit debitum recto fine, est admitrendus ad Eucharistiam.
- 13 Copula inter conjuges voluptatis causa est culpa venialis.
- 14 Conjux, qui ex sola voluptate copulam habuit, non debet die sequenti communicare; nisi ei aliqua justa causa suffragetur.

Dei. Clericali Tom. 1. Lib. 11.

- 15 Causa communicandi Conjuges, etsi non abstineant à copula.
- 16 Canones de abstinendo à copula ante Communionem sunt de Consilio.
- 17 Copula non exercebatur à fidelibus in primitiva Ecclesia in quatuor casibus, seu temporibus.
- 18 Lasciare proprios filios est præceptum naturale in Matribus.
- 19 Veneris usus immoderatus est perniciosissimus.
- 20 Epilepticus morbus venit ex immoderato coitu.
- 21 Mala ex nimia Venere.

CASUS PRIMUS.

Mulier uxorata in Sacramentali foro, facta suarum reconciliatione culpæ, Parocho Confessario innuit; conjugii suo nocte præcedenti debitum soluisse petenti. Queritur, an eidem sit Sacra Communionem concedenda?

Plures plura scripsere. Alii negant, Alii affirmant. Alii diversos casus distinxerunt. Omnia, qua majori brevitate potero, argumenta, & rationes referam.

Qui negant concessionem Eucharistia supra dictæ uxorate, ob exercitum præterita nocte conjugium, ducti fuerunt.

Primo ex cap. Sciatis 33. q. 4. ubi Sanctus Hieronymus, sic scribit. Sciatis fratres charissimi, quoniam quicumque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi; nec de carnibus Agni comedere debet. Ergo

Secundo ex cap. Quotiescunque, ead. causa 33. q. 4. ubi sic ait S. Augustinus. Quotiescunque aut dies Natalis Domini, aut reliqua festivitates adveniunt, sicut frequenter admonui, ante plures dies, non solum ab infidelium concubinarum consortio; sed etiam à propriis uxoribus abstinere. Cur ita? uniusque quia in dictis festivitibus omnes fideles oportebat accedere ad Eucharisticam Communionem, cap. Etsi non frequentius; & cap. Saculares de Consecr. dist. 2. Ergo

Tertio ex cap. Fratres 33. pariter q. 4. ubi S. Ambrosius inculcat dicens: Fratres non solum debetis ab omni immunditia abstinere, sed etiam ab uxoribus propriis studiosissime continere. Nullus omnino uxori suæ juniorum diebus conjugatur. Non alia certe ratione, quam ob reverentiam futuræ Communionis Paschalis; unde annotatio ad dictum caput ait, quod in alio manuscripto Sancti Ambrosii legitur: Nullus omnino uxori suæ jungatur ante Octavam Pasche. Ergo

Quarto, sed aliis pluribus relictis canonibus, illud est irrefragabile Concilii Eliberitani, celebrati anno 305. Illic in Hispania, relatum in cap. Omnis homo. De Consecr. dist. 2. his verbis: Omnis homo ante Sacram Communionem à propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus: nec inter Catholicos communerabitur, qui in istis videlicet temporibus, Pascha, Pentecoste, & Natali Domini non communicaverit. Nec est audienda Glossa ad hoc caput asserens, esse intelligendum de consilio, non autem de præcepto; quia totum contrarium videtur verius; loquitur enim Concilium per verbum Debet, quod importat necessitatem, & inducit præceptum l. Sape ff. de Offic. Præsidis. Fagn. in cap. Qualiter. num. 57. De Cleric. non residens.

Quinto: Quia etiam Moyses præcepit populo appropinquanti monti Synai, ut per triduum abstinerent à uxoribus, Exod. 19. 15. Abimelech Sacerdos Davidem, petentem panes propositionis ad manducandum, interrogavit, uum ipse, & qui secum erant, abstinuissent à mulieribus? 1.

S 3

Reg.

4 Reg. 21. Plurimi volunt auctores, ideò Ozam, qui tetigit Arcam, percussum fuisse à Domino, quia antecedenti nocte opus conjugii cum uxore exercuerat. Menoch. in *Oeconomica lib. 1. cap. 12. versus finem.* Sanchez de *Matrim. lib. 9. disp. 13. n. 2.* Immo ipsi gentiles non faciebant Sacra, nisi abstinentes à copula carnali juxta Tibullum

lib. 2. *Elegia prima, sic canentem:*

Vos quoque abesse procul jubeo, discedat ab aris,

Cui tulit hesterni gaudia nocte Venus.

Casti placent superis: pura cum veste venite,

Et manibus puris sumite fontis aquam.

Sextò. In sumptione Eucharistiæ abesse debet omnis irreverentia; quia immodè est cum reverentia sumenda. cap. *Omnis utriusque sexus. De Penitent. & Remissione.* Sed, qui polluto corpore accedit ad Communionem, committit irreverentiam, tum quia irreverentia irrogatur Sacramento, si manibus immundis tangatur. Emin. Card. de Lauræa

d. disp. 25. num. 105. igitur multo magis si corpore 6 fadato per pollutionem; tum etiam quia copula carnalis perturbat mentem, & illa delectatio per commotionem spirituum inducit hebetudinem mentis, & alienationem à spiritualibus. Emin. Card. Toletus de *Septem peccat. mort. cap. 55.* Ergo

Septimò. Quia esse culpam litem venialem 7 accedere ad Sacrum Convivium die, qua carnalem copulam maritali exercuerunt, & sic eos esse ea die repellendos, tenent Alensis, Abulensis, Alex. Cajetan. & alii vigintiduo partium Theologi, partim Juriste, quos cumulat Sanchez de *Matrim. d. lib. 9. disp. 13. n. 2.* qui n. 4. refert ex Josepho lib. 12. *antiquit. judaice cap. 8.* Matathiam Sacerdotem Jerosolymis die quadam abstinuisse à solemni sacrificio, quod nocte præcedenti uxorem cognovisset. Quod dictum ego reperire non potui in meo codice. E contra

Affirmarunt multi, esse concedendam Communionem absque scrupulo prædictæ Uxori, non obstante debiti maritalis solutione.

Primò. Quia debitum petiti, & redditum recto fine, vel ad prolem generandam, vel ad concupiscentiam sedandam, nullam continet culpam, cap. *Vir cum propria 34. q. 4.* Sanc. in *Select. disp. 23. n. 24.* Ergo non impedit Communionem.

Secundò. Quia carnalis copula exercita inter conjuges etiam voluptatis capiendæ causa regulariter non excedit culpam venialem. Sanchez d. disp. 13. d. *Matrim. n. 7.* Sed culpa venialis non impedit Communionem. Suarez de *Euchar. disp. 63. sect. 3.* Tamb. de *Commun. cap. 1. § 4.* Ergo.

Tertiò. Quia, qui coenando causa voluptatis comedit, venialiter dicitur peccare. Sed iste non repellitur à Communionem. Tamburinus d. lib. de *Exped. com. cap. 2. n. 5.* Ergo neque prædicta Uxor.

Quarò. Quia si abstinere à Communionem post conjugalem copulam est actus reverentiæ & Religionis; etiam communicare, & suscipere Eucharistiam est Religionis actus, & quidem major, ut probat Joan. Sancius in *Select. d. disp. 23. num. 13.* Sed in concurrentia actuum locus dandus est majori. Ergo Communio erit concedenda.

Quintò. Illa est opinio amplectenda, ex qua 9 jura bona percipiuntur. Sed abstinendo ab Eucharistia unum tantum bonum resultat conjugibus, qui debitum maritali persolverunt, scilicet actus reverentiæ, & Religionis in Sacramentum: at illam sumendo, resultant plurima bona, nempe augmentum gratiæ, remissio venialium, auxilia ad fræ-

nandas passiones, & tentationes, ad acquirendasque alias, virtutes. Suarez part. 9. 79. art. 8. disp. 84. sect. 1. Sancius d. disp. 23. num. 16. Ergo

Sextò. Si quis habeat peccatum veniale mendacii levis, vel iracundiæ, vel non gravis distractionis, seu affectum ad hæc levia peccata; bonum erit consilium, ut ab eis abstineat; sed si abstinere nolit, non erit consilium salubre, ut abstineat à Communionem; alioquin committeret illa venialia, & perderet fructum Eucharistiæ, ac auxilia ad superandas illas tentationes, & inclinationes malas. Vasquez de *Eucharist. q. 80. art. 7. n. 27.* Sancius d. disp. 23. n. 21. Ergo idem in casu nostro.

Septimò. Quicumque incidit in pollutionem fornicariam, vel peccaminosam; & dolens, ac peccati poenitens consensu fuerit, non est repellendus à Communionem; cui obest tantummodò culpa mortalis. S. Thom. Opusc. 65. §. 8. De *Eucharist. n. 20.* Gabriel in *Canone Missæ lect. 10. Litt. O.* Beja de *castib. consc. part. 1. Casu 8. in fine.* Sed in uxoris non tuit culpa mortalis ob exercitam copulam, ut supponitur. Ergo non est neganda Eucharistia isdem, ut mordicus tener, & defendit Joan. Sancius in *Selectis d. disp. 23.* ubi plurimas rationes, & auctoritates congerit.

Distinxerunt alii diversimodè, ex quorum dictis deducuntur sequentes conclusiones pro casus resolutione.

Prima conclusio. Monendi semper sunt conjuges, 10 & consulendi, ut communicaturi abstineant à copula carnali saltem antecedenti die ob reverentiam tanti Sacramenti; ut advertunt omnes DD. Sanchez de *Matrim. d. lib. 9. disp. 13. n. 17.* Jo. Sancius in *Select. d. disp. 23. n. 11.* Emin. Card. de Lauræa de *Euchar. disp. 25. n. 93.*

Secunda conclusio: Si conjux communicandus copulam carnalem egit, non petendo, sed reddendo; non est repellendus à Communionem. Gloss. in c. *Omnis homo. verb. Abstinere* & ibi Cardin. Turrecrem. de *Consecrat. dist. 2.* Sanchez de *Matrim. d. lib. 9. disp. 13. n. 9.* ubi DD. cumulat; quibus favet doctrina Sancti Francisci Salesii hic referenda suis ipsissimis, ac dulcissimis verbis, quæ habentur ad *Philotheam, seu in introduct. ad vitam devotam part. 2. cap. 20.* Igitur sic Sanctus loquitur: Bisogna, che io dica questa parola per le persone maritate. A Dio non piaceva nell' antica Legge, che li creditori volessero efiggere ciò, che era loro dovuto, ne giorni di festa; ma non vietò mai, che i debitori non pagassero, e rendessero il loro debito a quelli, che lo dimandavano. Quindi è, che per rendere il debito matrimoniale, non deve alcuno essere privato della Communionem, se per altro ab sua devotione lo spinge a desiderarla. Certo nella primitiva Chiesa i Christiani si comunicavano ogni giorno, ancorche fossero maritati, & havessero la benedizione della generatione de figli.

Tertia conclusio. Si communicaturus exerceat conjugalem copulam petendo, ductus tamen recto 12 fine, ut causa prolis, vel sedandæ concupiscentiæ, & ad evitandum periculum pollutionis; & in hoc casu, suo judicio est relinquendus, ut juxta suam devotionem vel accedat ad sacram Mensam vel abstineat. Cap. *Vir cum propria. 33. q. 4. S. Thom. 3. p. q. 80. art. 7. ad 2. S. Antonin. 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 10.* & alii plurimi, quos citat, & sequitur Sanchez de *Matrim. d. lib. 9. disp. 13. n. 5.* ea ratione quia huius re-ctus, & motivum honestum adæquat, & præpon-derat corporali immunditiæ, & voluptati, quæ intercedit in copula conjugali; quod approbant Ca-

stro.

Stropalaus de Eucharist. punct. 13. n. 3. apud Gobatum in Experim. Theol. d. tract. 4. n. 356. Collegium Salmanticense. tom. 10. De Sacramentis tract. 4. cap. 7. n. 63. Bernal. atque Leander apud Dianam part. 10. tract. 16. resolut. 34. quæ requiescit in Coordinato tom. 2. tract. 2. resolut. 51.

- Quarta conclusio. Si debitum conjugale petiverit, & exercitum sit gratia voluptatis capiendæ, quia hodie excusari non potest à culpa veniali, cum contraria opinio sit tamquam erronea damnata ab Innocentio Papa XI. anno 1679. die 4. Martii opinione IX, tutius, & honestius erit, non admittere conjugem, qui petiit debitum die immediatè sequenti ad Communionem; S. Thom. 3. part. qu. 80. art. 7. ad 2. B. Volpi Resol. Moral. Verb. Eucharistia. resolut. 61. n. 35. Nisi aliqua urgens causa eum juvet, & resarciat indecentiam suam; talis autem erit magna festi solemnitas, dies Jubilæi, aut sollemnis Indulgentiæ; particularis devotio, seu præparatio; periculum incurrendi aliquam notam, vel suspicionem apud eos, qui non communicantem observarent; ut considerat Sanchez d. l. 9. de Matrim. disp. 13. ubi DD. n. 8. Collegium Salmanticense. d. tr. 4. cap. 7. n. 63. & Tambatin. de Expedita Con. d. cap. 2. §. 1. Idem procedere docent in eo, qui peccaminosam pollutionem passus est nocte antecedenti, sed eam per Sacramentum Pœnitentiæ expiavit. Quo verò ad sacros Canones pro negativa opinione supra relatos, communis est responsio, eos loqui de consilio, non autem de præcepto; excepto tamen cap. Omnis homo. De Consecr. dist. 2. quia ibi Concilium Eliberitanum verè, & propriè imponit præceptum; sed hodie ex contrario usu censetur abrogatum tanquam nimis rigorosum; prout etiam aliqui alii Canones ejusdem Concilii, ut ex Vasquez notat Gobat d. tract. 4. n. 354. & Illustrissimus Episcopus Baptaglinus in Histor. Concilior. anno 305. ad Concil. Eliberim. num. 4.

- Ex eis studiosum Lectorem non pigeat, duo corollaria notare. Unum est, quod in primitiva Ecclesia Christi fideles conjugalis castitatis, & majoris continentie cultores, & amatores erant; siquidem ab uxoribus abstinebant. In diebus jejuniorum, & Processionum, ut orationi vacarent cap. Fratres. & cap. Christiano. 33. q. 4. II. Ante dies festos, & ipsis diebus festis, in quibus sacram Communionem erant recepturi, cap. Scitis ead. 33. n. 4. & cap. Omnis homo. De Consecr. d. 2. & de hac observantia, & abstinentia à concubitu cum uxoribus plura scribit Tiraquell. de leg. Connub. 15. gloss. 1. n. 111. & seqq. III. A die conceptæ proles in utero usque ad ejus partum, & à tempore partus usque quod mater lactabat suam prolem, cap. Si causa 33. qu. 4. Et cap. Ad ejus verò, dist. 5. ubi hæc aurea verba: Ad ejus verò (Uxor) concubitus vir suus accedere non debet, quousque qui gignitur, ablatetur. Mosenim erat piarum matrum proprios filios lactare, non autem alienis tradere nutritibus; quod videtur naturale præceptum, quia unicuique mulieri parturienti natura lac subministrat; quod notat Menoch. in Oeconomic. lib. 2. cap. 4. n. 1. & 2. Et VI. viri non tangebant uxores menstruatas, & ab earum consortio penitus abstinebant. dict. cap. Ad ejus verò: ibi: Cum in consuetis menstruis, (Uxores) detinentur, viris suis misceri prohibeantur: ita mortale sacra feriat, si quis vir ad menstruatam mulierem accedat. Scio hæc temporibus à Moralibus supradictos casus à culpa lethali, siue eis debitum matrimoniale exerceatur, excusari; sed ita non erat apud primitivos fideles, quorum religionem nos hereditavimus, & eandem futuram gloriam cum ipsis inquirimus,

Alterum corollarium est, immoderatum Veneris usum cum uxoribus esse perniciosissimum: coitus enim semper est noxius, nunquam salutaris, & juxta celeberrimum Cliniae Pythagorici dictum, tunc Venus est exercenda, cum quis damnum aliquod subire vult, vel seipso deterior fieri desiderat. Tiraquell. de legib. Connub. d. leg. 15. gloss. 1. part. 15. a n. 6. & seqq. Zacchias in Quæst. Medicolegal. lib. 6. tit. 1. qu. 5. n. 6. & lib. 7. tit. 3. qu. 4. n. 15. Rationem esse manifestam dicunt Medici, & Philosophi; siquidem carnalis copula diminuit calorem naturalem; quippè cum materia seminalis maximè spiritosa sit, ea ex corpore expulsa, meliores spiritus, subtiliores, & qui præ cæteris naturalem calorem fovent, dissipantur, & evanescent; & sic Vir, aliàs robustissimus, redditur imbecillis, præterquam quod labor impensus in exercenda Venere spiritus ipsos exhaurit, succeditque membrorum languor, & lassitudo, & totius individui detrimentum, ut probat Galen. lib. 1. de semin. cap. 16. & Zacchias in d. quæst. Medicolegal. conf. 70. n. 5. Hinc cruditates accumulatur in stomacho, quæ omnium morborum, ac articulationum dolorum materialis causa existunt, ob multas ferositates, & humores aqueos, crudos, & tenues, qui profluunt in articulos, & afficiunt quamcunque corporis partem, & præcipue cerebri ventriculos, unde provenit Apoplexia, & mors, ut in dict. consult. 70. n. 8. habetur ex Galen. lib. 1. de Spermate; nec desunt exempla eorum, qui immoderatè coeuntes occubuerunt in ipso concubitu, videlicet Cornelius Balbus Prætorius, & Q. Heterius Eques Romanus, de quibus Plinius lib. 7. cap. 53. & Valerius Max. lib. 9. cap. 12. & de quodam Principe Tarantino, qui congregiens cum meretrice emissa animam, tradit S. Petr. Damianus, & Jovinian. Pontanus in lib. de Obedientia de quodam Beltrando, qui in Venere expiravit, & de aliis notat Tiraquell. cit. Leg. Connub. 15. gloss. 1. part. 15. n. 27. & seqq. ubi numerat quinquaginta species morborum, & infirmitatum emanantium excoitu immodico, & exuperante; inter quas n. 54. morbus Comitialis, seu Epilepticus, ex sententia Hippocratis, & Galeni; de quo Faustus conclusit:

Turpis est morbi species horrenda caduci,
Cum jacer exanimis post sua furta Venus.

Alia plura hujuscemodi decrementa indulgentibus Veneti magis, quam oporteat, referunt Mercurial. lib. 2. de morbis Mulier. cap. 2. Massarialib. 4. præf. 6. & Zacchias post d. Quæst. Medicolegal. conf. 83. num. 15. & præcipue quod ex nimio frequentato coitu non generatur proles, & vita coeuntis abbreviatur; undè sic disserit S. Antonin. in summa part. 2. tit. 5. cap. 1. de Luxuria §. 11. Vers. Terribiliter consumit. Videlicet: Luxuria consumit vitam, Seneca: Plures occidit voluptas, quam gladius; & quidam sapiens eam describens ait: Luxuria est inordinata carnis petulantia, dulce venenum, importunus, perniciose potio, quæ corpus humanum debilitat, & virilis animi robur enervat. Unam ex rationibus, quare antiqui Patres tantum vivebant, & robusti, nunc autem parvo tempore, & pleni debilitate, hanc esse puto, quod erant magis continentes, tardè contrahabant matrimonium, interim servando castitatem, nunc autem à pueritia incipiunt pleni esse luxuriis, nimis citò contrahunt matrimonium, sed si differunt, perpetrant innumera mala. Quæ dicta sint, ut Parochi, & Confessarii argumenta habeant ad suadendos uxoratos, ut conjugalem continentiam ament, & à coitu effrenato abstineant.